

CONSULTATIONES

D. G. S. *Perlegens constitutionem « Provida Mater Ecclesia » qua Instituta saecularia instituuntur et definiuntur, nonnulla mihi obvenerunt dubia circa eorum naturam et relationes cum religiosorum statu quae tibi subiicio. Atque imprimis quaero a) Quenam propria Institutorum saecularium definitio; b) in quo proprie a Religionibus differant; c) differentia estne substantialis an mere formalis?*

R. - a) Propria Institutorum saecularium definitio habetur, nisi fallor, et perfecta, in citata constitutione « Provida Mater » art. 1. *Legis peculiaris*. En ex ipsis constitutionis verbis confecta: Institutum saecularium nomine proprio veniunt « Societates, clericales vel laicales, quarum membra, christianae perfectionis acquirendae atque apostolatum plene exercendi causa, in saeculo consilia evangelica profitentur ». Hanc definitionem P. Larraona vocat *legislativam* potius quam doctrinalem (1), licet, uti legenti patet, doctrinalia elementa ascetica et iuridica satius in ea innuantur (2). Uti-que in hac definitione non omnia exprimuntur quae Institutis saecularibus postea in subsequentibus *Legis peculiaris* articulis tribuuntur multoque minus illa quae ex notione tradita « logica quadam ratione, derivare intendit legislator » (3). Sed neque hoc est definitionis officium, quae tantum breviter et clare debet elementa essentialia tradere rei definitae, nam debet nobis huius naturam seu essentiam demonstrare. Institutum autem natura saecula-

(1) CpR., XXVIII (1949) 148.

(2) Profecto, clare talia elementa indicata prostant, ex quo societates clericales vel laicales, dicuntur Instituta, ad perfectionem evangelicam persequendam et apostolatum plene exercendum inventae. Quattuor causae per quas res philosophice definiuntur heic invenire nefas non est.

(3) CpR., I. c.

rium in relatis constitutionis verbis perspicue elucet. Profecto, essentialia elementa, sive generica sive specifica, ex quibus infundibilis Institutum saecularium natura resultat, haec sunt: *vita socialis*, quae dici potest *genus remotum*, vi cuius Instituta annumerari inter societates ecclesiasticas debent, hoc est, ab auctoritate legitima erectas vel approbatas (4); *professio perfectionis evangelicae* et apostolatus (genus proximum), quam ob rem saecularia Instituta inter illas societates recensenda sunt quae, ex propria natura, in statu perfectionis acquirendae sunt constituta, uti Religiones et Societates vitae communis (5); denique *saecularitas*, quae velut specifica differentia Institutum considerari potest; unde adiectivum *saeculare* ipsis additum, egregie characterem eorum proprium exprimit, desumptum precise ex fine contendendi ad evangelicam perfectionem et apostolatum exercendi in saeculo commorando ubi, Institutum membra, uti ceteri simplices fideles, degere et operari pergunt. Ex quo iam consequitur Instituta saecularia categoriam novam et propriam constituere, plane distinctam, tum a communibus fidelium associationibus, de quibus tertia pars L. II Codicis Iuris Canonici, uti expresse animadvertit ipsa const. « Provida », ob professionem totius evangelicae perfectionis et exercitii apostolatus (6), tum a Religionibus et Societatibus in communi viventium sine votis, praeter alia infra dicenda, propter naturam saecularem eorundem, conditioni seu naturae religiosae oppositam, quae, uti notum est, importat, ex se, a saeculo separationem. Hinc qui Religionem ingreditur saeculum relinquere dicitur vel saeculum affugere; religiosus vero qui illam dimittit, in saeculum regredi (7), ad saeculum remitti (8), imo *saecularizari* (9).

b) Quo dicto, iam liquido patet fundamentalis differentia Religionum inter et saecularia Instituta. Sunt quidem et aliae differentiae notatu dignae, specie in modo prosequendi perfectionem evangelicam utrisque communem; nam religiosi ad hanc necessario contendunt per tria vota castitatis paupertatis et obedientiae (10),

(4) « Nulla in Ecclesia, ait § 1 can. 686, recognoscitur associatio quae a legitima auctoritate ecclesiastica erecta vel saltem approbata non fuerit ».

(5) Cfr. cc. 487, 488, 593.

(6) Lex peculiaris.

(7) Canon, 642, § 1.

(8) cc. 653, 668.

(9) cc. 640, § 1; 641, § 1; 643, § 1; Cfr. CpR., XXVIII, (1949) 151, ss.

(10) cc. 487, 488, 1º, 7º; 593.

et quidem *publica* (11) idest, ab Ecclesia acceptata per legitimum Superiorem ecclesiasticum (12); dum e contra iuxta const. « Provida » Instituta saecularia tria publica Religionis vota non admittunt (13). Alia valde adspectabilis differentia inter Instituta et Religiones provenit *ex vita communi* quae, prout in Codice Iuris Canonici Religionibus imponitur, secum fert in religiosa domo degentiam, seu, uti communiter dicitur, sub eodem tecto cohabitationem (14) et participationem eiusdem mensae totiusque communitatis vitae cui religiosus adscribitur (15). Huiusmodi communis vita, quae canonica dici potest, nam in canonibus Codicis praescribitur (16), Institutis saecularibus non imponitur, licet quandoque horum sodales simul vivant sive in omnibus eorundem domiciliis, sive in illis de quibus art. III § 4 *Legis peculiaris*; in casu tamen convivia libere regulatur propriis Instituti constitutionibus, minime praescriptis Codicis (17). Denique ne ulterius procedamus, saecularia Instituta a Religionibus differunt etiam in proposito *obiectivae perfectionis gradu* prosequendo. Enimvero, uti in historica-doctrinali introductione const. « Provida Mater » magistraliter, pro more docet Pius XII, status canonicus perfectionis *completus* tantum in Religionibus exhibetur, ad quem aequiparare voluit Ecclesia Societates vitae communis, de quibus Titulus XVII L. II Codicis Iuris Canonici, tametsi careant iuridicis aliquibus sollemnitatibus ad ipsum statum completum perfectionis necessariis. Pari igitur ratione, cum societates, quae nunc Instituta saecularia appellantur, *quoad substantiam*, ad status canonicos perfectionis accedant, speciatim ad Societates in communi viventium sine votis, Summus Pontifex in statu perfectionis acquirendae adnumeranda esse declarat. En per clara verba Pontificis: « Postquam Codex pius-benedictinus... Congregationes votorum simplicium inter stricte sumptas Religio-

(11) c. 588, 1^o.

(12) c. 1308, § 1.

(13) art. II, § 1.

(14) cc. 606, 644.

(15) c. 594, § 1.

(16) Haec communitas vitae materialis, quae non probatur esse elementum essentiale Religionum, (cfr. GOVENECHÉ, *De Religiosis*, 1) dici valet integrativum seu integrale, quia ius Codicis idem imposuit. CpR., XXVIII, 169. Sunt nihilominus exceptiones, ut puta, Ordo Equitum Melitensium. Cfr. *Costituzioni del Sovrano Militare Ordine Gerosolimitano di Malta conformate al Codice di diritto canonico*, Roma, 1936, nn. 1, 7.

(17) Scribit LARRAONA CpR., XXVIII, 170: « ex adverso vita communis sensu materiali pro Religionibus et Societatibus vitae communis in iure communis Codicis praescripta et ordinata, quam merito vitam communem canonicam appellamus Institutis Saecularibus ex iure generali non imponitur ».

nes admiserat, nihil in disciplina status canonici perfectionis addendum esse videbatur. Ecclesia tamen magna qua gaudet animi mentisque largitate tractuque vere materno, brevem titulum legislationis religiosae, veluti peropportuni complementi gratia, adiungendum censuit. In ipso (Tit. XVII Lib. II) ad statum canonicum perfectionis, satis plene, Ecclesia aequiparare statuit Societates, de ipsa et frequenter etiam de civili societate optime meritas, quae, quamvis aliquibus iuridicis sollemnitatibus *ad statum perfectionis* *canonicum completum* necessariis, uti votis publicis (cc. 488 1^o, 7^o; 487) carerent, tamen in ceteris quae ad vitam perfectionis substantialia reputantur, veris Religionibus arcta similitudine et veluti necessitate coniunguntur » (18). Et loquens infra de novis consociationibus quae in saeculo perfectionem christianam prosequuntur, quibus, sub nomine Institutorum saecularium, statum perfectionis evangelicae acquirendae recognoscere et sollemniter definire intendit, prosequitur: « Non tamen de omnibus consociationibus hic questio est, quae in saeculo perfectionem christianam sincero corde sectantur, sed de tantum quae in interna constitutione, in hierarchica regiminis ordinatione, in plena nullisque aliis vinculis limitata deditioe quam a membris proprie dictis requirunt, in consiliorum evangelicorum professione, in ratione denique ministeria et apostolatum exercendi *propius quoad substantiam accedunt ad status canonicos perfectionis*, ac speciatim ad Societates absque votis publicis (Tit. XVII L. II), quamvis non vita communi religiosa, sed aliis externis formis utantur » (19).

Dixi Instituta a Religionibus differre *gradu* perfectionis *obiectivae* prosequendae proposito, hoc est, prout talis gradus in iure ipso definitur et diversa et completiori ratione, uti ait Pius XII, Religionibus quam Societatibus et Institutis *a iure* adsignatur et praecipitur. Quod tamen minime significat Institutorum sodales non posse maiori conatu *subiectivo*, personali et etiam *sociali* (20), evangelicam perfectionem appetere et exsequi quam ipsimet religiosi exstrictioris observantiae. Placet heic quae Rev. mus P. Larraona ad rem scripsit referre: « Animadvertere iuvabit merito nos

(18) AAS, XXXIX, (1947), 114-124.

(19) AAS, XXXIX, ib.

(20) Sociali inquam, nam nihil mirum si in Institutis quibusdam saecularibus maior paupertatis perfectio proponatur et observetur, quam in nonnullis Societatibus vitae communis et etiam Religionibus, maior austeritas, audaciora atque heroiciora apostolatus opera, et ita porro.

dixisse. quoad substantiam tantum et quidem sub respectu theologico et ascetico, Instituta saecularia *religiosa* iure nuncupari posse. Sane, ex dictis patet, et ex dicendis patebit melius, sub respectu *iuridico* Instituta saecularia profunde differre a Religionibus et a Societatibus vitae communis, sed etiam limitate ad respectum theologicum atque asceticum, salva communi substantia, non paucae neque parvae *graduum differentiae* inter status perfectionis acquirendae ab Ecclesia diversimode recognitos, admittendae necessario sunt. Nimis patet Ecclesiam, etsi doctrinaliter declaret aliqua non requiri ad status perfectionis *substantiam*, nullo modo illa parvipendere posse aut velle quae satis efficaci vi sanctificante praedita traditio ecclesiastica, monastica, religiosa per saecula comprobavit, ex. gr., recollectionem et separationem a mundo, votorum sollemnitate, regularem disciplinam et alia centum» (21). Cum ergo toto ac tantae sint inter Religiones et Instituta differentiae, iure meritoque constitutio «Provida», postquam illas minimi (22), praecipiendo declarat: 1° Instituta saecularia nec esse nec dici posse Religiones (23); 2° Religionum vel Societatum vitae communis proprio peculiarique iure non obligari neque uti posse, nisi quatenus aliquod huius iuris praescriptum, per exceptionem, accommodatum fuerit atque applicatum (24).

c) Ex quibus omnibus scaturit ad tertium responsum nempe, differentiam Inter Religiones et Instituta, *formalem* esse dicendam potius quam *substantialem*, quamvis uti probavimus, aliquae ex illis differentiis ipsam substantiam quadantenus incidant; quod censeo ex dictis constare luculenter. Profecto, idem R. Pontifex, sua constitutione «Provida», incunanter declarat saecularia Instituta in interna constitutione, in hierarchica regiminis ordinatione, in plena nullisque aliis vinculis limitata deditione quam a membris proprie dictis requiruntur, in consiliorum evangelicorum professione, in ratione denique ministeria et apostolatam exercendi, propius quoad substantiam accedere ad status canonicos perfectionis, ac speciatim ad Societates absque votis publicis (Tit. XVII) quamvis non vita communi sed aliis *externis formis* utantur (25).

(21) CpR., XXVIII, 152, 3.

(22) art. II, § 1.

(23) ib. 1°.

(24) ib. 2°.

(25) AAS. XXXIX, 1. c.

Ergo iuxta R. Pontificem non ex substantia, sed *ex formis externis*, ab statibus perfectionis canonicae praecipue distinguuntur Instituta, eadem prorsus ratione ac Societales vitae communis, nunc inter status canonicos perfectionis acquirendae recensitae, a Religionibus differunt quia «quamvis aliquibus iuridicis *sollemnitatibus* ad statum canonicum *completum*, uti votis publicis (c. 488, 1°, 7°; 487) careant, tamen in ceteris, quae ad vitam perfectionis *substantialia* reputantur, veris Religionibus arcta similitudine et veluti necessitate coniunguntur» (26). Ceterum, Instituta saecularia substantiam status religiosi participare, quae in prosecutione evangelicae perfectionis consistit (27), luce clarius apparet ex ipsis *Legis peculiaris* articulis, ubi expresse declaratur: 1° Instituta saecularia esse societates quae in saeculo, perfectionis acquirendae causa, atque apostolatam exercendi, consilia evangelica profitentur (28); 2° huiusmodi professionem secum ferre obligationem exercendi castitatem perfectam, paupertatem et obedientiam ex voto, vel promissione vel iuramento vel consecratione derivatam (29); et incorporationem Instituto vinculo ex ea orto, stabili, mutuo, ac pleno (30). Quisnam ergo neget Instituta saecularia status religiosi substantiam possidere quae, absque dubio, reposita est in elemento theologico et ascetico? E converso, differentiae quae adsunt, a formis seu sollemnitatibus iuridicis repetuntur. Quodsi aliquae recenseri possint quae ipsam substantiam afficiunt, hoc accidentaliter semper evenire demonstratur. «Instituta saecularia, ita P. Larraona, quoad substantiam, sub respectu theologico et ascetico revera religiosa dici valent atque in ipsa tantum perfectionis invenire dicendum est ab Ecclesia recognosci» (31).

Eadem. *Articulo I Legis peculiaris dicuntur Instituta saecularia societates quarum membra christianae perfectionis acquirendae atque apostolatam plene exercendi gratia, in saeculo consilia evangelica profitentur. Quaero quanam vis illius locu-*

(26) ib.

(27) cc. 487, 481, 1°; GOYENECHE, o.c., l.c.

(28) art. I.

(29) art. III, § 2.

(30) ib. § 3.

(31) CpR. XXVIII, 152, 3.

tionis "apostolatum plene exercendi". Sese refert ad universas formas apostolatus Institutis convenientibus vel ad libertatem illam qua eorum membra exercendi pollent apostolatum qua alias in claustris frui non possent?

R. Reor ex textu et ex contextu constitutionis «Provida Mater» illud «apostolatum plene exercendi» deditionem completam et plenam membrorum operibus apostolatus uniuscuiusque Instituti propriis significare. Hoc est, membra Institutorum saecularium, quamvis in saeculo remaneant et in ipso, sicut ceteri cives, mansiones quascumque occupent et activitatem saecularem exercent, nihilo secius, per professionem et incorporationem Instituto taliter eidem devinciuntur, ut vita *plene* apostolatu consecrari possit ad nutum Superiorum, quin eidem consecrationi obesse valeant occupationes et professionalia munera quibus in saeculo operam navant. Re quidem vera, hunc esse sincerum illius locutionis, aliquantulum aequivocae art. I *Legis peculiaris*, sensum, facile convincimur ex diversis locis in quibus a R. Pontifice nota illorum characteristic et essentialia requisita ponitur deditio haec «plena, nullis aliis vinculis limitata» (32), unde «in consiliorum evangelicorum professione, in ratione *denique* ministeria et apostolatum exercendi, propius quoad substantiam accedunt ad status canonicos perfectionis» (33). Age porro, in Religionibus et in Societatibus vitae communis, hoc precise ante omnia quaeritur nempe, plena personae sodalis traditio in ordine ad finem sanctificationis vel apostolatus iuxta constitutiones cuiusvis proprias et sub ductu Superiorum. Sed hoc clarius et indubium patet ex § 2 art. III, 2º et ex § 3, 2º eiusdem art. III *Legis peculiaris*. Habet § 2, 2º: «Obedientiae voto vel promissione, ita ut stabili vinculo ligati totos Deo et caritatis seu apostolatus operibus se dedificent, et in omnibus sub manu et ductu semper moraliter sint Superiorum ad normam constitutionum». Et infra § 3, 2º loquens de vinculo quo sodales Instituto devinci oportet, praescribit: «2º Mutuum ac *plenum*, ita ut, ad normam constitutionum, sodalis se totum Instituto tradat». Unde liquet locutionem illam «apostolatum plene exercendi», quae, materialiter sumpta, plura signifi-

(32) AAS., XXXIX, I.c.

(33) ib.

care nata est, in subiecta materia et in loco ubi prostat, ex doctrina et praescriptis ipsius constitutionis «Provida Mater», non aliud significare, nisi absolutam deditionem vel traditionem membrorum in opus sanctificationis et apostolatus, adeo ut ubi huiusmodi absoluta et plena traditio desit, deficiat quoque unum ex substantialibus requisitis ut consociatio ecclesiastica, laicalis vel clericalis, accenseri valeat Institutis saecularibus, uti monet art. IV § 2 eiusdem Pianae constitutionis.

S. GOYENECHÉ, C.M.F.